



MEDITATIONES  
 DE THRENO-  
 DIA DISCIPULORVM BEATI  
*Martini Episcopi, cuius memoria quo-*  
*tannis in Ecclesia cele-*  
*bratur,*




M. CAROLI BVMANNI RE-  
*ctoris Scholæ Catharinianæ Bru-*  
*novicensium.*



*Henricopoli excudebat Conradus Horn,*  
 M. D. XCVI.





REVERENDO ET AM-  
plissimo Viro, Pietate, Doctrina & Sapien-  
tia præstantissimo D. PETRO VVEIN-  
TRVBIO Monasterij Riddageshusani  
Abbati dignissimo, Domino ac Mecæ-  
nati suo omni obseruantia  
colendo

hasce Meditationes suas  
dedicat, vovet, ac consecrat

M. CAROLVS BVMANNVS  
Scholæ Catharinianæ Brunovicensium  
Rector.



THRENODIA DISCIPVLO-  
rum beati Martini Episcopi.

**D**ixerunt Discipuli ad beatum Marti-  
num: Cur nos Pater deseris, aut cui nos  
desolatos relinquis? Inuadent enim gre-  
gem tuum lupi rapaces. Et beatus Martinus:  
Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, fiat  
voluntas tua.

OBSERVATIO IDIOTISMORVM.

In PATRIS appellatione est Hebraismus, significat  
Præceptorem & Doctorem; 1. Samuel. 10. Quis pater est  
illorum prophetantium? id est, præceptor. Et 2. Reg. 2.  
Elifæus clamat ad Eliam: Pater mi, Pater mi, currus &  
equites Israel: Quemadmodum discipuli vocantur filij  
Prophetarum, 4. Regum 2. Sic Rex Prophetam appel-  
lat, Pater mi, 4. Reg. 6. & 13. id est, Doctor. Ergo Disci-  
pulus & Pater hic sunt relata. Discipulus propriè dicitur,  
Pater tropicè

Et DESERENDI verbum propriè de coniugis de-  
sertione in sacris intelligitur: aliud nempe amor & nexus  
coniugalis requirit, quam desertionem. Et omnino ver-  
ba in Threnodia sonant desertionem spontaneam, non co-  
actam. Cur nos Pater deseris? quasi terminus vitæ in no-  
stra potestate positus esset, & non potius in Dei voluntate.

Desolare est quidem solum aut solitarium reddere,  
sed præterea exponere extremis malis, Esaiaë 1. Derelin-  
quetur



quætur filia Zion, ut ciuitas desolata, id est, vel prorsus deserta, vel ppaucos habens incolas, & pauciores circum habitantes. I zech. 14. Et fuerit terra desolata, nemine transeunte propter bestias & feras. Querela igitur est maxima. Quia discipuli vident, patrem abitum adornantem, e sua quasi in alienam terram, queruntur eum ita se solos redere, vt præterea extremis periculis exponantur.

**G R E X**. Metaphora peculiaris est pro coetu & populo Dei. Mich. 2. tanquam gregem in medio caule colligam eos. Et 7. cap. Pasce populum tuum virga tua, gregem hæreditatis tuæ habitantem solum. Verba hæc, (invadent gregem lupi rapaces) ex 20 cap. Actor. exscripta sunt: Estq; hæc Metaphora vsitatissima in sacris, quæ populus Dei gregi, & ipse Deus & Doctores, pastoribus conferuntur. **L V P V S**. per Metaphoram significat, vel Tyrannos, vel seductores, Iohan. 10. cap. **R A P A X** sævitiam & crudelitatem istorum luporum significat, quæ admodum Christus de seductoribus ait, eos mentiri velle ouem, sed intus esse lupos rapaces, id est, sæuissimos & prædæ cupidissimos, Matth. 7. cap.

**N E C E S S A R I V M**, significat præter alia in sacris rem valdè vtilem, aut commodam, qua non sine graui damno careamus, 2. Corinth. 9. cap. Necessariū esse putavi vos consolari. Ergo sic Episcopus vult deserere suos, ut etiam manere velit, si id cum iactura suorum maxima fieri possit.

**V O L V N T A S**, hîc passiuè usurpatur: significat eum affectum, quo in aliqua re tanquam in eximio bono Deus acquiescat, eoq; delicietur: planè ut Esai. 42. cap. Seruus meus cui innitar, electus in quo animæ meæ complacuit, id est, in quo delectatur anima mea, & in quo acquiescit.

Di.



*Distributio in certos locos :*

Duo autem loci principales ex hac Threnodia commodè tractari possunt: Alter de piorum infirmitate & morte, an sit lugenda: Alter an prorogatio vitæ à Deo sit petenda.

*De Primo.*

Etsi homo à Deo ad vitam, non ad interitum conditus erat, ut est lib. Sapientiæ 1. & 2. cap. eumq; viuere Deus, non mori volebat, Ideo enim hominem ad imaginem suam creauerat: Tamen quia in sua integritate non permansit, sed sua sponte à Deo sese auertit, omnibus infirmitatibus & morti non solùm huic, verumetiam æternæ, obnoxius factus est, Neq; impius tantùm, sed etiam iustus. Quia licet Christus sua morte, ab æterna quotquot in ipsum credunt, liberos fecerit, tamen quia adhuc peccatum in credentibus hæret, illud morte hac destruendum est, Sed hæc mors piorum est *Φαρμακὸν καὶ καθαριστὴς τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος*, qua anima & corpus à peccato & labe purgantur. An ergo piorum mortem lugendam censebimus? Apostolus ait 1. Thessal. 4. Videte ne contristemini pro dormientibus. Sed Philip. 4. testatur, se mœrore affici, quod Epaphroditus comminister, morti vicinus fuerit: Si doluit, quia grauitèr decubuit, quanto magis doluisset, si diem suum obiisset. Proinde omnino piorum mortem lugendam censeamus. Sed non sit dolor iste immoderatus & Ethnicus, verùm dolor obedientiæ erga Deum mixtus. Talis est Christianorum dolor, suos ex hac vita abeuntes lugentium. Euertit Apostolus suo exemplo Stoicorum illam *ἀπάθειαν*. Nam illè qui Spiritum Dei habuit, quo regebatur, modò lætatur, modò tristatur. Neq;

A 3,

laus



laus esset ulla patientiæ, si Christiani omni sensu doloris carerent. Sed cur tristatur Paulus, qui probè nouerat, Epaphroditum è miserijs præsentibus per mortem migraturum in regnum Christi? Et melius pijs esse migrare & esse cum Christo, quàm hîc diutius varijs miserijs confici? Non tam ob Epaphroditum tristabatur, quàm ob Ecclesiam, cuius salutem sperauit, et cui perutilem ministrum fuisse Epaphroditum non ignorabat. Neque Deo resistere videri debet, qui mortis horam unicuique præsignauit, si quis ob alicuius mortem tristatur, modo ita doleat, ut suum dolorem frenet, & sese voluntati Dei subijciat. Aliud autem est dolere & frenare dolorem, aliud fremere & indignari aduersus Deum, & ex doloris magnitudine prorumpere in contumeliam Dei. Primum ergo argumentum, quo infirmitatem, & mortem piorum lugendam esse probamus, est ab exemplis. Paulus adfuit Epaphrodito grauissimè ægrotanti cum maximo dolore, Ergo licet dolere. Imò fuerunt & Philippenses in mœrore maximo, postquàm Epaphroditum inualetudinem cognouerant, Ergo & nos justè dolemus, si quando sinceri Ecclesiæ Doctores, aut decumbunt, aut planè è medio tolluntur. Testantur & acta Apostolica 8. cap. Viros religiosos Stephano Diacono Ierosolymitano parentasse, eumq; magno plangore prolecutos esse. Et tota Aegyptus septuaginta dies Patriarcham Iacobum planxit. Et Iosæ Regis interitum Cantores & Cantrices lugubribus elegijs lamentati sunt. Saulis & Ionathæ mortem Dauid & socij ieiunantes luxerunt, & epræcedio insigni celebrârunt. Abraham Saram coniugem defleuit, & sepeluit lachrymis perfusa fidelibus ossa. Et luctu viduæ Christus ipse ex corde affectus est, Luc. 7. cap. Et nunc laudantur discipuli beati Martini ab Ecclesia, quod



quod Præceptorem & Doctorem suum; jam in agone labo-  
rantem, cum lacrymis sunt persecuti Congruunt hæc cum  
præcepto Siracidæ 38. cap. Fili mi, si quem contigerit  
mori, desle & luge eum, ut in dolore acerbo.

Aliud argumentum est, quo idem probamus, hoc  
videlicet, quod opera caritatis sunt exercenda, Roman. 13.  
Nemini quicquam debete, nisi ut vos inuicem diligatis.  
Est autem opus caritatis, lugere cum lugentibus, & flere  
cum flentibus, ut scriptura ait, Gaudete cum gaudenti-  
bus, & flete cum flentibus, Ergo hoc opus est exercen-  
dum. Et quidem erga piè defunctos, par est nostrum  
publicè testari amorem. Ideo enim de lacrymis Christi,  
Iohan. 11. memoratur, quod *τεκμήριον* fuerunt amoris, quo  
Lazarum est complexus. Sed & illi qui non lugent su-  
am produnt securitatem. Non enim agnoscunt se suis  
peccatis promeritos esse, quod Ecclesia tantis viris despo-  
liatur: Quam perversitatem Esaias 57. cap. his verbis de-  
testatur: Iustus perit, & non est, qui recogitet in corde  
tuo, & viri sancti colliguntur, & non est, qui consideret:  
præ malis obeunt iusti, & veniunt in pace, & requiescunt  
in cubilibus suis &c. Deus enim imminentibus jam pu-  
blicis & priuatis calamitatibus tristissimis, præripit pios,  
ne ijs implicati & obruti durius excrucientur. Sic Augusti-  
nus ante deditā Vandalis Hipponem ex hac vita euocatus  
est. De Ambrosij morte Stilico scribit, tanto viro mori-  
ente interitum Italiæ imminere. Martinus Lutherus  
florete Ecclesia à se constituta & latè doctrina Euangelij  
propagata euocatur à Deo, ne spectator sit belli Germani,  
quod ipsius obitum mox est subsequutum. Quantæ distra-  
ctiones animorum, & in Ecclesia, & in Politia huius Rei-  
pub. Brunsvicensis obitum Doctoris Martini Chemnicij  
subsecutæ



subsecutæ sint, nostris oculis vidimus. At non immittit Deus publicas calamitates, sine aliqua graui & iusta causa. Bonus enim est Deus; eiusque opus proprium est benefacere. Sæpè etiam ob vnum virum iustum, vniuersæ ciuitati benefacit. Ergo peccata, quæ passim in Ecclesia Dei vagantur, causæ sunt istarum *ἡμωρίων*. Ierem. 5. cap. Delicta vestra priuant vos bonis. Ecclesiam autem habere pios & sinceros Doctores, magnum profectò bonum est, quo si destituitur aliquando, peccata eius hoc effectum dedisse, certum exploratumque est. Illorum non est remissio, sine præcedente agnitione & poenitentia. Ergo summus stupor est, ne tunc intelligere bona, quando quæ possidemus amisimus. Estque hoc argumentum tertium: Omnis stupor procul esse debet ab homine Christiano, publici boni despoliatione non affici est stupor, Igitur publica calamitate nos affici iustum est.

Est & defunctis suis honos deferendus, maximè si piè obdormierunt. Nam si Deus illos in hac vita sua gratia dignatus est, & per eos tanquam sua organa & instrumenta, sæpè præclara effecit, par est nos illis Dei organis vltimum hoc pietatis officium præstare, vt cum luctu & planctu ad testandum amorem nostrum erga eos, illorum corpora humi mandemus.

Postremo quia Apostolus Paulus in fine 4. capituli, epistolæ I. Thessalon. disertè iubet nos inuicem consolari, luctus ostenditur. Nulla enim sequitur consolatio, nisi præcedat luctus & mœsticia. Pium igitur est officium mortuos lugere, & eorum discessu affici, & desiderio teneri, qui nobis hac in vita cari, aut de Ecclesia, de Republ. & nobis priuatim benè meriti fuerunt. Attamen temperantius lugendi sunt. Habemus enim spem resurrectionis,  
&



& vitæ æternæ. Præterea profectio quædam est, quam putamus mortem. Ideoq; qui antecedit non immoderatè lugendus est, sed desiderandus. Cur enim immoderatè feremus obijisse quem mox subsequemur?

### *De Secundo.*

Quod vitæ prolongatio petenda sit, testantur sanctorum exempla. Sic David Psalm. 117. non moriar inquit, sed viuam, & narrabo opera Domini. Et Rex Ezechias prorogationem vitæ sibi dari petijt, & impetrauit. Esai. 38. cap. Itaque adolescentes prorogationem vitæ petant, ut veram de Deo doctrinam discant, & usum eam confirmet: Adultiores, ut adolescentium studijs & moribus gubernandis præsent, & posteritati consulant.

Alia est causa quam Apostolus Paulus nominat, Philipp. 2. cap. nempe, prorogatio vitæ est miseratio Dei. Cum enim scribit Epaphroditum vicinum morti fuisse, & jam conualuisse, addit: Sed Deus misertus est eius, neq; tantum eius, sed etiam mei &c. Est ergo vitæ prorogatio maximum Dei beneficium, inter Dei miserationes ponendum. Sic Deus seruauit vitam Abrahamæ, Eliæ, Danielis, Pauli & aliorum, prospiciens illis hospitia, incerta sede ac loco vagantibus, & prorogans illorum vitam, quamdiu voluerit. Neque nos dubitabimus Deum hac in vita Ecclesiam seruaturum, daturum doctoribus hospitia, vitam, victum & pacem, & mitigaturum miseras, ut Ecclesiæ suæ inservire possint. Sic Iacob 32. cap. Geneseos orat: Dixisti mihi, reuertere in terram tuam, & benefaciam tibi, minor sum cunctis miserationibus tuis: Erue me de manu fratris mei Esau, ne percutiat matres cum filiis. Commenda itaq; & tu Deo viam tuam, ut David Psalm. 36. monet, Et

B

spera



spera in eum, & ipse faciet. Deinde si panem quotidiana-  
num à DEO efflagitare licet, & prorogatio vitæ, quæ non  
minima particula est istius panis quotidiani, à DEO exo-  
randa est. Ut enim ille, non nos ipsi, donat statura cor-  
poris, parua vel longa, Sic breuitatem vel longitudinem  
vitæ ille solus nobis tribuit. Neque enim temerè aut casu  
hæc bona inter homines dissipantur, Sed Deus verè est  
eorum dator & auctor, & in horum petitione Ecclesiam  
vult exercere fidem, spem, & alias virtutes. Denique  
ut alia bona corporalia petenda sunt cum conditione,  
Ita & prorogatio vitæ. Sæpè enim Deus non  
exaudit ad voluntatem, ut exau-  
diat ad salutem.





ALIA MEDITATIO  
eiusdem de eadem Threnodia.

**N**on solum manum, sed etiam mentem ibi frequenter nos habere, ubi dolemus, ferè in Proverbio dicitur. Vtrunque autem à natura nobis est tributum, & ei corporis parti, quæ dolet, manus frequenter admouere, & animum & linguam habere, ubi quid vel dolet vel delectat. Testes nobis sunt discipuli D. Martini, qui animum Doctoris sui, jam jam ex hac vita in coelestem abituri, querelis angere, suisq; vulneribus manum admouere non desierunt: Pater, cur nos deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Quæ vox uti ex corde doloris pleno profecta est, ita non potest non movere lacrymas, & animos piorum afficere. Verum quia hinc potius attendendum est, unde sint istæ lacrymæ (ex animi enim laceratione citantur illæ) de threnis discipulorum sic agemus, ut non tantum amor illorum in doctorem & præceptorem summum, cuius desiderio tantopere mouentur, nobis innotescat, sed ut & nos inde pietatem aliquam hauriamus, & *περημενλω* & *πεναλαφλην* causam Threnodiæ exponemus. Qua explicata & cantionem cygneam D. Martini euoluemus, & quanto affectu Christum & Christi discipulos complectatur, audiemus.

*De Primo.*

Non malè dixit ille: Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Tanti enim luctus grauis causa est, siquidem salus Ecclesiæ periclitabatur. Et distractos veræ doctrinæ obliuisci

B 2





obliuisci, certum exploratumq; est. Dolemus omnes patriæ nostræ excidium, sed multò magis Ecclesiæ, quæ communis nostræ patria est, & cuius ciuem esse præclara laus est, ruinam non vehementer omnes pij non dolent. Hinc sunt threni Prophetæ Ieremiæ, non tantum excidium Hierosolymitanæ urbis, sed potissimum Ecclesiæ ruinam deplorantis. Haud itaque leuis luctus est subortus discipulis beati Martini, non tam lugentibus acerbum interitum sui Doctõris, quàm Ecclesiæ jam hoc Doctõre orbatae metuentibus. Etenim illo pastore excubante, grex ouium tutus erat ab incursione luporum, qui sunt Tyranni, hæretici, & hypocritæ, & Cacodæmones. Tanti viri vocem pertimescebant Tyranni, doctrinam hæretici, & hypocritæ fidem, & preces Cacodæmones: Hoc occumbente haud falsò de sua salute pertimescunt ouiculæ, quarum alias à Tyrannis mañtandas, alias ab hæreticis & hypocritis ad impia dogmata amplectenda adigendas, alias ad defectiõnem à vero Deo, ut in dissipatione Ecclesiæ usu venire solet, miserè à Satana præripiendas credunt.

Accedit huc quod Ethnicos victis insolentius insultare, & in bonos inuehi non ignorent, Falsam de Deo suo opinionem illis obiectantes. Quod scandalum pios vehementer excruciare solet. Sed & affectus vehementiores sunt in naturis præstantioribus. Etenim lacrymæ Iosephi illapsi in faciem patris demortui, eumq; exosculantis, argumentum fuere desiderij patris, quo filius unice flagrabat. Ita lacrymis suis testati sunt amorem erga beatum Martinum Doctõrem suum discipuli, cuius desiderio eos motos omnes facile intelligunt: cui tantò plus se debere agnoscunt, quanto maiore studio ab illo in doctrina Dei ad vitam æternam sunt educati. Et ut liberi nostri orphanos se esse.



esse norunt parentibus jam orbati, idemq; sæpè cum magna  
 suarum rerum jactura comperiuntur, eoq; magis dolent, &  
 quibus post obitum jucundissimorum parentum utantur  
 tutoribus scire desiderant. Ita quia parente, qui eos docen-  
 do fidem in Christum genuerat, discipuli beati *Martini* or-  
 bati sunt, se desertos liberos, & orphanos esse cum lacry-  
 mis queruntur, & tutorem, sub cuius fide deinceps degant,  
 sollicitè expetunt, cui nos desolatos relinquis? *Quæ*  
*περιελατρίκα*, etsi summa & maxima sunt, tamen cum *πε-*  
*νηγμένοις* non sunt conferenda. *Quæ* sunt illa? Equidem  
 ad casum, vel fatalem necessitatem referre vel publicas vel  
 priuatas calamitates, non solum miserum, sed etiam ethni-  
 cum, & impium est. Non enim est malum in ciuitate, quod  
 non fecit Dominus, ait Propheta Amos 3. c. Et quia passim  
 in Ecclesia omnibus temporibus atrociora delicta vagantur,  
 Deus *ἐκδικῶν ὄμμα ἔχων* non potest non ea atrociter punire.  
 Verè quidem id dicitur: Est aliquid magnis crimen abes-  
 se malis: At si nostra culpa calamitates publicas nos ipsos  
 accersiuisse agnouimus, tum demum dolor in nobis auge-  
 tur: quæ causa luctus horum discipulorum omnium ma-  
 xima est. Neque *Φανλασία* quædam est, aut animi *μελαγ-*  
*χολία* sensus iræ Dei in nobis aduersus peccata nostra, sed  
 ignis quidam & cruciatus infernalis, qui in alijs maior, in  
 alijs minor est, prout Deus poculum afflictionis inter suos  
 distribuit, ut discant sese humiliare sub potenti manu Dei,  
 & à quibus doloribus & cruciatibus per mortem & sangui-  
 nem Christi sint redempti, aliquo modo intelligant. Atq;  
 hæc suborta est in tanto luctu cogitatio discipulis: Ah nos  
 miseri. Ecclesiã afflictam tanto bono spoliauim⁹, nos ipsos  
 Doctore indignos nos fecimus, cumulando nos indies pec-  
 catis varijs: O Deus ignosce, errauimus, lapsi sumus, ne  
 B 3 imputes



imputēs nobis hoc delictum propter Dominum. Hæc, quæ dicta sunt, cedere possunt & debent in tui institutionem, doctrinam & consolationem. In institutionem, ne pravis affectibus contra conscientiam indulgeas, & sciens, & volens pecces: Peccatis enim contra conscientiam impendent extremæ calamitates. Deinde ne pios fidelesq; Doctores ac præceptores contempnas, quibus Deus ceu organo suis utitur in colligenda sibi his in terris Ecclesia, & verbo Dei ad omnem posteritatem propagando. Qui enim hos spernit, Deum ipsum spernit. In doctrinam, quod nempe iusti sæpè præripiantur scandalis, ne malitia peruertantur, ut & in libro Sapientiæ, & maturius sæpè ex hac vita in cœlestem transferantur, nè videant calamitates, quæ generi humano impendent, ut est Esaia 50. cap. In consolationem verò, quod preciosa sit mors sanctorum in conspectu Dei, imò ut Psalmus 31. habet, quòd in manu Dei sit & spiritus & vita nostra.

### *De Secundo.*

#### *De Cantione Cygnea.*

Omnes boni ac fideles Doctores & præceptores diligunt Christum, quem diligunt, si seruant mandata eius. Mandatum autem præcipuum est hoc, quod dedit illis, ut pascant oues, pascant agnos suos, quemadmodum ipse ad Petrum ait, Petre diligis me? Pisce oues meas, pisce agnos meos. Quod tanto maiore studio exequentur, quanto plus intelligunt per Spiritum sanctum, quomodo peccus Christi erga ouiculas suas sit affectum, idemq; studium arguit amorem in illis, quo erga gregem Dei flagrant. Nam quomodo tanto studio oues & agnos Christi prosequi possent,



sent, si non desiderio aliquo illarum ouium Christi mouerentur: Tantaq; sollicitudo animos bonorum & fidelium Doctorum excruciat, si vel senectus, vel imbecillitas corporis obstat, quò minus oues Christi ad pascua graminosa educant, quanta storge in iisdem residet erga eas. Proinde qui oues Christi diligit, oues ad pascua educit, & ad tranquillitas aquas: Si diutius non licet, suboritur dolor, hinc preces & lacrymæ. Domine, si adhuc populo necessarius sum, fiat voluntas tua: Ut si non opere, voce tamen testentur, se Christum & oues eius diligere, ut ab ipso vicissim diligantur, & benedictione coronentur. Atque hæc quoque cantio est jam in ultima hora beati Martini, qua sibi quidem precatur longiorem vitam à Deo, ut doctrinam coelestem propagare, & illustrare, Deiq; & suas oues diutius pascere possit. Verùm, ut omnium vita in manu DEI posita est, ita & suam in manu DEI repositam esse exoptat, non quando sibi, sed quando Deo visum fuerit, ut fiat voluntas eius. Probè enim nouit beatus Martinus Deum suæ vitæ authorem esse, eamq; si velit, diutius posse conseruare, quemadmodum etiam Regi Ezechia longius vitæ spacium deprecanti illud concessit, ut est Esaiæ 38. ca.

Vehementer autem extimescit præsentem mortem, nõ eam ridet: Quod ipsum quoq; à natura datum est nobis. Imò & Christus in horto deprecabatur poculum, quod ipsi bibendum erat. Neque potest natura nostra non dolere, quando eiusmodi resolutionem perfert & sustinet.

Ita Ezechias rex, cum dixisset ad eum Esaias: Sic dicit Iehoua, Conde testamentum, nam morière, neque conualesces, vultu ad parietem conuerso fleuit voce magna, & salutem deprecatus est. Sed vincit periculum mortis beatus Martinus, intuendo Dominum, cum quo sermones suos



suos confert: Domine, fiat voluntas tua. Non ut ego volo, sed ut tu vis. Hoc exercitium fidei, est vera ad mortem præparatio: Quemadmodum enim aspectus ænei serpentis seruabat iustos, ut est Num. 22. ita nulla alia salutis spes nobis est fixa, quam in Domino, in quo mors est conculcata, peccatum expiatum, Satan prostratus, in cuius cruce pendent trophæa de nostris hostibus & Tyrannis deuictis. Hunc quia intuetur sanctissimus Doctor, suamq; ei viam commendat, mortis periculum superat, nec amplius illo spectro terretur.

Quod ipsum ad nostrum vsum ita transferre discamus, ut quisq; maneat in sua statione, in qua à Deo vocatus est, ut I. Corin. 7. c. Apostolus monet, & officium suum sedulo faciat. Ita enim bonam conscientiam possidebit, & benedictionem à Domino impetrabit. Magnum enim quiddam erat, quod Ezechias dicere poterat, de verbo & officio quod ex præscripto verbi administrarat: Memento Domine, quam ego me tibi fidelem, sinceriq; animi præstiterim, & quæ tibi placerent, fecerim. Propheta autem inquit: Maledictus qui opus Dei facit negligenter. Deinde, ut quisque faciat, quo probe sit paratus ad iter ex hac vita omni tempore, cum nihil certius sit morte, & nihil incertius hora mortis. Et ne ad merita nostra vel peccata, sed solius Christi obœdientiam, & mortem in agone respiciamus. Ille qui est via, veritas & vita, & resurrectio nostra, non patietur animas in se credentium in infernum detrudi, sed seruabit eas ad vitam, cum sit Deus omnipotens, Dominus & Frater noster, & faciet nos suorum bonorum, quæ cum Patre & Spiritu sancto ab æterno possidet, participes. Cui sit laus, honos & gloria in sempiterna secula,

A M E N.



AB

50A  $\frac{2}{h, 12}$

ULB Halle 3  
003 485 560




*Sch*


Rest.  
Sep./Okt 84 Schuss.











334  
26

MEDITATIONES  
THRENO-  
MUSCIPVLORVM BEATI  
Episcopi, cuius memoria quo-  
annis in Ecclesia cele-  
bratur,



ROLI BVMANNI RE-  
is Scholæ Catharinianæ Bru-  
novicensium.



opoli excudebat Conradus Horn,  
M. D. XCVI.